

tribus summa auctoritas erat, vis multo maxuma in plebe. itaque saepius in civitate secessio fuit semper- 2 que nobilitatis opes deminutae sunt et ius populi amplificatum. sed plebs eo libere agitabat, quia nullius 3 potentia super leges erat neque divitiis aut superbia 5 sed bona fama factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat: humillimus quisque in agris aut in militia nullius honestae rei egens satis sibi satisque patriae erat. sed ubi eos paulatim expulsos agris inertia atque 4 inopia incertas domos habere subegit, coepere alienas 10 opes petere, libertatem suam cum re publica venalem habere. ita paulatim populus, qui dominus erat <ac> cunc- 5 tis gentibus imperitabat, dilapsus est et pro communi imperio privatim sibi quisque servitutem peperit. haec 6 igitur multitudo primum malis moribus inbuta, deinde 15 in artis vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad cape- sendam rem publicam. ceterum additis novis civi- 7 bus magna me spes tenet fore ut omnes expergiscantur ad libertatem: quippe cum illis libertatis retinendae, 20 tum his servitutis amittendae cura orietur. hos ego cen- 8 seo permixtos cum veteribus novos in coloniis consti- tuas: ita et res militaris opulentior erit et plebs bonis negotiis impedita malum publicum facere desinet.

6. Sed non inscius neque inprudens sum, quom ea 1 res agetur, quae saevitia quaeque tempestates homi- 26, num nobilium futurae sint, quom indignabuntur, omnia funditus misceri, antiquis civibus hanc servitutem in- poni, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi